



ACTIVIDAD NORMATIVA

LITTERAE CIRCULARES ad Praesides Conferentiarum episcopalium de tribunalium ecclesiasticorum statu et activitate

Inter cetera novae competentiae capita Supremo huic Tribunali concredita vi Constitutionis **Regimini Ecclesiae Universae**, qua, die 15 augusti 1967, Summus Pontifex Paulus VI Curiam Romanam reformavit, non ultimum locum tenet munus consulendi «rectae administrationi iustitiae» circa omnes causas, non exclusis matrimonialibus, ac propterea curandi Tribunalium regionalium vel interregionalium¹ vel interritualium erectionem².

Usque ad Curiae reformationem, Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum³ tum vigilantiam Tribunalium quoad causas matrimoniales, tum novam eorum ordinationem et pro necessitate aptatam circumstantiis diligenter exegit. Haec autem sollicitudo nunc huic Supremo Tribunali tributa est, quia et muneri suo et competentiae unificandae congruere sapienter visum est. Quae quidem unificatio una fuit ex praecipuis normis in Romanae Curiae reformatione adhibitis, iuxta Concilii Oecumenici Vaticani II optata⁴.

I

1. Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, Litteris **In Plenariis**, die 1 iulii 1932 datis⁵, Tribunalium «vigilantiam» primum ordinavit, ita ut locorum Ordinarii tenerentur quotannis mittere eidem Sacrae Congregationi relationes de proprii Tribunalis statu et activitate.

2. Sollicitudo et activitas Sacrae Congregationis adeo excrevit, ut die 24 maii 1939 constitueretur «Officium Vigilantiae», cuius praecipuum munus erat expendere relationes atque examinare sententias omnes, quae a singulis Tribunalibus quotannis ferebantur.

3. Constitutioni autem huius Officii praeiverant Pii XI Litterae **Qua cura** Motu proprio datae die 8 decembris 1938⁶, quibus tribunalia ecclesiastica pro causis nullitatis matrimonii in Italia ordinabantur, promovente —ut ipse Romanus Pontifex fatebatur— Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum,

1. A. A. S. 59 (1967), p. 921, n. 105.

2. Motu proprio **Sollicitudinem nostram**, can. 38 in A. A. S. 42 (1950), pp. 13-14.

3. Cui competebat et competit quidquid decerni concedique solet in disciplina matrimonii (cfr. C. I. C., can. 249 § 2.

Const. Apost. **Regimini Ecclesiae Universae**, n. 55, in A. A. S. 59 [1967], pp. 903-904).

4. Decr. **Christus Dominus**, n. 9, in A. A. S. 58 (1966), p. 676.

5. A. A. S. 24 (1932), pp. 272-274. Iterum editae sunt hae Litterae in A. A. S. 28 (1936), pp. 368-370.

6. A. A. S. 30 (1938), pp. 410-413.



LA SIGNATURA APOSTOLICA

quae plurium annorum labore notitias circa causas ac Tribunalia accurate collegerat⁷.

Hanc autem primam ordinationem aliae complures in diversis nationibus, per decreta praesertim eiusdem Sacrae Congregationis, subsecutae sunt. Quibus inceptis complementum adiecit Sacra Congregatio Consistorialis, extendendo quaedam decreta Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum ad ceteras causas sive contentiosas sive criminales⁸.

4. Inde patet quod, ubi agitur de iustitiae administratione provehenda, intime inter se conexas sunt iugis vigilantia et nova accurata Tribunalium ordinatio, prout sapienter indicavit Paulus VI, cum hoc utrumque munus per modum unius assignavit competentiae huius Supremi Tribunalis: «[Signaturae Apostolicae] integrum confirmamus invigilandi munus itemque constituendi, necessitate postulante, nova Tribunalia Regionalia vel Interregionalia, quemadmodum multis iam in regionibus providentissime actum est»⁹.

II

5. Hoc Supremum Tribunal suscipiens utrumque munus sibi concreditum, dum novam Tribunalium ordinationem, litteris ad Conferentias Episcopales missis, iam curare incepit; alterum munus per praesentes litteras circulares, pariter Conferentiis auditis, aggreditur, vigilantiam exercere volens, non ea mente ut omnia ad se unum deferat, sed ut fraternalium auxilium Tribunalibus Episcoporum offerat, et eisdem, per orbem terrarum dispersis, in bonum animarum servitium praestet per rectam iustitiae administrationem.

Huiusmodi igitur spiritu hoc Supremum Tribunal occasionem hanc arripit enixe iterum hortandi locorum Ordinarios, ut considerent an illa Tribunalium unificatio, quae iuxta Summi Pontificis verba, multis iam in regionibus «providentissime» inducta est, in propria regione etiam introduci oporteat (sacerdotibus ad diversa tribunalium munera obeunda ex ceteris quoque regionibus, si necesse sit, accitis), ut iustitiae in universa Ecclesia administratio, praesertim quoad rem matrimonialem, celerior atque accuratior evadat, pro salute animarum, quae in gravissimo interdum versantur periculo, nisi status personalis quam citissime ac recte definiatur.

6. Ad optatae cooperationis incrementum et efficax auxilium praestandum in gravi administrandae iustitiae officio, magnopere conferent relationes de statu et activitate quorumlibet Tribunalium ecclesiasticorum, etiam religiosorum vel in locis missionum, conficiendae a singulis eorum moderatoribus sive ad Ecclesiam Latinam sive ad Ecclesias Orientales pertineant, ratione habita tum iuris communis tum iurium seu normarum particularium.

7. Praedictae relationes ad hoc Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal transmittantur vel per Generale Ecclesiae Rationarium (**Ufficio Centrale di Statistica della Chiesa**) vel per Nuntios aut Delegatos Apostolicos, nisi pro aliquibus nationibus aliter expresse cautum fuerit.

III

8. In relatione, **quotannis** transmittenda, quae omnes cuiuslibet Tribunalis causas spectare debet, tum pertractatas et diiudicatas in processu formali aut in processu summario, tum solummodo introductas, responsiones dentur, quatenus res ferat, ad singula quae sita tum quae in hisce adnexa tabella proponuntur tum quae sequuntur:

9. 1) An nominatio Officialis, Vice-Officialium, ceterorumque iudicum, Promotoris Iustitiae, Defensoris Vinculi ac Notarii fiat iuxta praescripta iuris tum quoad eorum qualitates tum quoad auctoritatem eos nominantem.

2) An ea serventur quae in iure statuta sunt de advocatis et procuratoribus, de testibus et peritis deligendis vel admittendis, et de eorum munere fideliter exsequendo.

3) An in Tribunali collegiali procedatur collegialiter necnon singuli iudices ad deliberandum convenientes, suas afferant scriptas conclusiones ad meritum causae quod attinet, additis rationibus tum in iure tum in facto, quibus ad eas conclusiones venerint.

4) An termini iudiciales et conventionales serventur, et causae quam citius absolvantur sive in prima sive in secunda instantia.

5) An taxarum iudicialium notula ad normam iuris sit statuta, in qua praefiniatur quid partes debeant pro expensis iudicialibus, necnon quae sit retributio a partibus solvenda pro praestita advocatorum et procuratorum opera.

7. A. A. S. 30 (1938), p. 411.

8. Prima extensio facta est in favorem aliquorum Tribunalium Regionalium in Gallia per Decretum diei 18 maii 1965, in A. A. S. 57 (1965), pp. 1006-1007.

9. Const. **Regimini Ecclesiae Universae**, in A. A. S. 59 (1967), p. 889.



- 6) An adhibita sit debita vigilantia ne advocati et procuratores immodicum emolumentum paciscantur; et, si id fecerint, an congrua remedia in eos adhibita sint.
 - 7) An sententia exarata fuerit non ultra mensem, eiusque publicatio facta sit non ultra bimestre a die decisionis.
 - 8) Quibus rationibus innitatur querela nullitatis contra aliquam sententiam forte proposita.
 - 9) Si in anno nulla sententia lata fuerit, rationes huius silentii indicentur.
 - 10) Quibusnam ex capitibus nullitatis singulae sententiae fuerint pronuntiatæ.
 - 11) Quo ex capite casus excepti contigerint, in quibus Ordinarius nullitatem declaraverit ad normam canonum 1990-1992 C. I. C., vel Motu proprio **Sollicitudinem Nostram**, nn. 498-500¹⁰.
10. Quæsitæ de quibus in n. 9 et in schedulis adnexis nihil detrahunt indultis vel legibus particularibus auctoritate apostolica latis et adhuc vigentibus, et firmo iure Ecclesiarum Orientalium. Proinde relationes et responsiones eo tendere debent ut fidelis observantiae respectivarum legum processualium notitia præbeatur.

IV

11. **Singulis quinquenniis**, mense ianuario, incipiendo ab anno 1972, mittatur una cum relatione de statu dioecesis, sed in separato folio, relatio de statu Tribunalis, in qua indicari debent:
 - 1) Utrum dioecesis suum habeat Tribunal primæ instantiæ rite constitutum, an præsertim quod attinet ad causas de nullitate matrimoniorum, tribunali interdioecesano, et quonam, uti debeat.
 - 2) An in dioecesi iudicia secundæ instantiæ haberi possint; et, quatenus affirmative, quænam sint dioecesana Tribunalia a quorum sententiis primæ instantiæ ad huiusce dioecesis Tribunal appellari debeat.
 - 3) Nomina Officialis ceterorumque Iudicum, Promotoris Iustitiæ, Defensoris Vinculi, atque etiam tituli academici, quibus quisque præditus est.
 - 4) An saltem Officialis seu Præses Tribunalis et Iudices laurea doctorali in iure canonico ornati sint. An iidem ceterique, de quibus sub n. 3, liberi sint ab aliis muneribus.

- 5) Nomina Cancellarii Tribunalis et eorum qui actuarii munere funguntur, necnon tituli academici quibus ornati sunt.
- 6) Advocatorum nomina et tituli academici, peculiari mentione facta eorum qui sacerdotes sunt. Ad procuratores et advocatos quod attinet, significetur an pro causis nullitatis matrimonii servata sint præscripta iuris.
- 7) Index taxarum quæ propter expensas Tribunalis solvendæ sunt; qua mensura Curia concurrat ad expensas Tribunalis sive dioecesani aut interdioecesani sive regionalis; ratio qua iusta retributio iudicum et administratorum Tribunalis ordinatur; emolumenta quæ advocatis et, ubi casus fert, peritis persolvi debent; utrum hæc emolumenta solvantur directe a partibus an per Tribunalis Cancellariam; quomodo consultum sit gratuito pauperum patrocinio, et qua proportione uterque modus patrocinii statistice se habeat.

12. Non iam omnes sententiæ, sed tantum eæ mittendæ erunt ad hoc Supremum Tribunal quæ explicite requirentur, et quidem generatim sine actis, nisi interdum ipsa quoque acta expetantur.

13. Hoc Supremum Tribunal certius fiat tum de nominatione Præsidentum et Iudicum omnium Tribunalium, etiam Regionalium et Appellationis, adiecto brevi curriculo vitæ, tum de eorundem amotione ab officio.

V

14. Quo sollertiore cura invigiletur observantiae legum processualium, quas unus Romanus Pontifex innovare potest¹¹, hæc statuuntur:

- 1) Si contingat ut aliquæ normæ processuales alibi prætereantur nec alia suppetat via ad earum legum observantiam obtinendam, patet recursus ad hoc Supremum Tribunal, quod providebit iuxta art. 93 Normarum Specialium Signaturæ Apostolicæ.

- 2) Remittitur Conferentiæ Episcopali prudens iudicium de opportunitate vel etiam necessitate instituendi Commissionem, in qua non desint selecti Præsides tribunalium, cuius munus sit ad Apostolicam Signaturam, scripto vel ore, de tribunalium propriæ regionis activitate et legum processualium observantia referre.

Quatenus specialis Commissio institui non possit, referat saltem Moderator Tribunalis.

10. A. A. S. 42 (1950), p. 106.

11. Cfr. Litteras Apostolicas Motu proprio datas die 15 Iunii

1966, De Episcoporum muneribus, in A. A. S. 58 (1966), p. 469, n. IV.



LA SIGNATURA APOSTOLICA

15. Denique iuvat haec Excmis Ordinariis locorum necnon Supremis Institutorum Religiosorum Moderatoribus commendare: in primis ut, attentis normis Apostolicae Sedis¹² et recenti allocutione Summi Pontificis ad S. R. Rotae Tribunal¹³, quibus studia canonica nominatim pro futuris iudicibus urgentur, efformationem selectorum iuvenum ad gravissimum iudicandi munus diligenter curent, quibusvis superatis difficultatibus.

Foveant praeterea conventus vel cursus de re canonica quibus tum Iudices tum Tribunalis administri necnon advocati, propriam scientiam canonicam ac iurisprudentiae cognitionem augeant, perfectiorem reddant ac hodiernis necessitatibus aptent.

Tandem magni faciant munus iudicandi, propterea quod, etsi speciem minus gratam et allicientem fortasse prae se ferat, utpote sine delectatione et strepitu, immo in abscondito exercendum, indole vere pastorali pollet cum necessitati prospiciat animarum, ideoque in bonum Ecclesiae conferat.

Praesentes Litterae Circulares suos plenarios et integros effectus sortientur a festo Annuntiationis B. M. V., id est a die XXV martii anni MCMLXXI.

Datum Romae, in Sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die XXVIII decembris MCMLXX.

Dinus Card. Staffa, **Praefectus**
Ioannes M. Pinna, a **Secretis**

12. Cfr., v. g., Instr. **Provida Mater**: «...S. Sedis mens est, et hoc Revmi locorum Ordinarii probe noscant, ut electi iuvenes, doctorali laurea saltem in iure canonico in hac Alma Urbe decorati, praesertim apud Studium S. R. Rotae, ad processus rite conficiendos atque ad recte iudicandum erudiantur, iustitia ac veritate ducibus» (S. C. de disciplina Sacramentorum, Instr. **Provida Mater Ecclesia**, diei 15 augusti 1936, in **A. A. S.** 28 [1936], p. 314).

13. «Ma tutto questo ingente sforzo di revisione del Codice risulterebbe in buona parte sterile se contemporaneamente non si provvedesse anche a rinnovare lo studio dello stesso diritto

e ad accrescere il numero di coloro che si dedicano agli studi giuridici specializzati, e che contribuiranno domani, in diversi modi e a vari livelli, ad attuare le rinnovate leggi della Chiesa... Noi ci auguriamo che il vostro Collegio presti anche ad esso un efficace contributo... continuando a svolgere un autentico lavoro di formazione canonistica mediante il vostro «Studio Rotale», che, pur essendo di recente erezione, ha già acquistato indubbi meriti dinanzi alla Chiesa e dinanzi alla scienza» (Paulus VI, **Allocutio ad Praelatos Auditores, Officiales et Advocatos Tribunalis S. R. Rotae, novo litibus iudicandis ineunte anno coram admissos**, die 12 februarii 1968, in **A. A. S.** 60 [1968], p. 206).